



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Quæstio I. An Justorum animæ plenè purgatæ ad visionem beatificam jam
nunc admittantur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

erimus (1. ad *Theff.* 4.) fruemurque *hereditate incorruptibili, & immarcescibili gloriae coronâ* 1. *Petr.* 1. & 5. c.

Q U A E S T I O I.

An Justorum animæ, quibus nihil luendum restat, ad intuitivam visionem Dei continuò admittantur?

Ante perfectam consummatamque humani generis redemptionem Justorum animas, etiam plenè purgatas ab omni culpæ & pœnæ reatu, ad claram Dei visionem admissas non fuisse, docet Apostolus ad *Hebr.* 9. Hoc significante Spiritu Sancto, nondum propalatam esse Sanctorum viam (nondum apertam esse viam cœli, quæ aperienda erat per Christi sanguinem) adhuc priare Tabernaculo habente statum. In novo autem Testamento, postquam Christus Primogenitus inter fratres, & mortuorum Primitiæ in altum ascendit, captivam ducens captivitatem, & in Sancta Sanctorum semel introivit, Justorum animas, quibus nihil luendum superest, absque mora ad visionem Dei intuitivam pervenire, jam anno 1274. edixit Synodus LUGDUNENSIS in Fidei Professione: *Credimus . . . illorum animas, qui post Baptisma susceptum, nullam omnino maculam incurrunt, eas etiam animas, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel iisdem exules corporibus sunt purgata, in cœlum mox recipi.* Quibus verbis jam usus antea fuerat CLEMENS IV. in formula Fidei ad Græcos, ut habet RAINALDUS ad annum 1267. Eadem subinde usurparunt JOANNES XXII. & Clemens VI., quin ta-

men in certum Fidei dogma abirent, hoc enim non obtinuit nisi post solemnem *Benedicti XII.* Constitutionem: *Benedictus Deus*, circa annum 1336. Synodus FLORENTINA sub *Eugenio IV.* in Decreto Unionis, recitatis mox *Lugdunensis* Concilii verbis hæc, porro adjecit: *Et intueri clarè ipsum Deum, trinum & unum, sicuti est.* Hanc ipsam adsertionem pro indubitato Fidei dogmate habuit Synodus TRIDENTINA, cum *Sess. 25. De invocat. Ss.* dixit: *Illos verò, qui negant, Sanctos æternâ felicitate in cœlo fruentes invocandos esse . . . jam pridem damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.*

184. *Fustorum animas ab omni pœna & culpæ rea-*
 Sancti *tu liberat, ad cœlum nunc statim admitti, dogma*
 nunc *Catholicum est.* Probatur ex verbis Apostoli 2.
 Deum *ad Cor. 5. v. 1. Scimus, quia si terrestris domus*
 vi- *nostra hujus habitationis dissolvatur, adificatio-*
 dent. *nem ex Deo habemus, domum non manufactam,*
æternam in cœlis. Et v. 4. ac seq. *Nam & quâ*
sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati,
eo quod volumus exspoliari, sed supervestiri; ut
absorbeatur quod mortale est, à vita . . . Scien-
tes quoniam dum sumus in corpore, peregrina-
mur à Domino (per fidem enim ambulamus, &
non per speciem) audemus autem, & bonam vo-
luntatem habemus magis peregrinari à corpore,
& præsentem esse ad Dominum. Eadem veritas
 constat ex publicis Ecclesiæ precibus & hymnis,
 quibus Sanctos tamquam cœlesti beatitudine jam
 fruentes honoramus, & invocamus. Nec alius
 fuit Ss. PP. sensus. Præter laudata jam *num.*
 180. testimonia, sint sequentia. Ac primo loco
 comme-

commemorare juvat Acta Sanctorum, quæ vetustissima sunt, & Fidelium perpetuo sensui penitus consona. Sic Acta S. SYMPHOROSAE, quæ circa annum AE. V. 125. in Christi confessione fortissimè sanguinem fudit, perhibent, quòd de Martyribus palam enunciaverit: *Elegerunt magis decollari, quàm vinci; passi mortem, quæ pro nomine Christi suscepta, inter homines quidem ignominiam eis peperit temporalem, inter Angelos verò decus & gloriam sempiternam; inter quos nunc gradientes, & tropæa passionum suarum laudantes, cum æterno Rege vitâ æternâ fruuntur in cælis.* Acta martyrii S. FELICITATIS, ejusque filiorum, qui circa annum AE. V. 150. passi sunt, ita Matrem filios excitantem inducunt: *Videte filii cælum & sursum adspicite: ibi vos expectat Christus cum Sanctis suis. Pugnate pro animabus vestris, & fideles vos in amore Christi exhibete.* Pugnarent illi, & diversis suppliciis interempti, omnes effecti sunt victores & martyres Christi, & cum matre triumphantes, ad præmia in cælis percipienda convolarunt. *Qui pro Dei amore minas hominum, pœnas & verbera contemnentes, Christi amici facti sunt in regno cælorum.* Acta S. JUSTINI Martyris circa annum Chr. 167. quæ latinè Ruinartus, græcè etiam Papebrochius ad diem I. Junii, edidit, sic habent: interrogabat Sanctum virum Rusticus Præfectus: *Si à capite per totum corpus flagellis casus fueris, persuasumne habes, fore ut in cælum ascendas? cui Justinus: Spero, inquit, me habiturum, quod habent, qui Christi dogmata servaverint, si hæc ipsa, qua dicis, perpeffus fuero. Scio enim omnibus, qui sic*

vixerint, divinam gratiam conservari, quoad totus Mundus conservetur. Ad hæc Præfæctus Rusticus: ergo futurum opinaris, ut in cælos ascendas, mercedem aliquam recepturus? non opinor, inquit Justinus, sed scio, & hoc tam certum habeo, ut nihil dubitem. S. CLEMENS Alexandr. sub finem Seculi II. L. 4. Strom. locum è Clementis Rom. ep. I. ad Cor. adfert, ubi Justimorientes migrare dicuntur in Locum Piorum, quo nomine Veteres intelligebant cœlestem Patriam, uti idem Scriptor satis explicat L. 4. Strom. ubi Ethnicos redarguit, quia nec honores post mortem eorum, qui sanctè vixerunt, nec supplicia eorum, qui injustè & libidinose se gesserunt, volunt intelligere: non ex nostris solum dico Scripturis, sed nec suorum scriptis volunt aures præbere. Tum laudatis Platonis aliorumque Philosophorum sententiis ostendit, esse post mortem præmia & poenas animarum: illa probis speranda, has impiis metuendas. Dein L. 5. Strom. ait: Bona autem spes est fore, ut, postquam excessero, omnia consequar. S. DIONYSIUS Alexandr. ep. ad Fabium, sive Fabianum Episcopum Antiochenum, quæ extat apud Euseb. L. 6. Hist. Eccles. c. 41. & 42. de Ss. Martyribus ita scribit: Caterum hi divini Martyres, qui nunc adsessores sunt Christi, & regni illius consortes, ac judicii participes, unâ cum ipso judicaturi, dum hîc apud nos essent, quosdam è Fratribus lapsos, & idolis sacrificasse convictos susceperunt. S. CYPRIANUS in calce Libri de exhortatione Martyrii sic loquitur: Quis ergo non omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem
perve-

pervenire, ut amicus Dei sit, ut cum Christo statim gaudeat? ut post tormenta & supplicia terrena, præmia divina percipiat? si militibus secularibus gloriosum est, ut hoste devicto redeant in patriam triumphantes: quanto potior & major est gloria, victo diabolo, ad paradysum triumphantem redire? cohæredem Christi fieri? Angelis adæquari? cum Patriarchis, cum Apostolis, cum Prophetis, cælestis regni possessione lætari? quanta est dignitas & quanta securitas exire hinc lætum: claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & Mundus; & aperire eosdem statim, ut Deus videatur & Christus? S. METHODIUS Tyri Episcopus & Martyr in Libro, quem de resurrectione contra Origenem circa annum 290. scripsit, hæc habet: *Quemadmodum cum dies vite nostræ præsentis defecerint, bona opera (Apoc. 14. v. 13.) animas nostras recipient, ita brevè hac vita solutâ, animæ ante resurrectionem habitationem habebunt apud Deum, donec instauratam, & nunquam casuram domum (Corpus) recipiamus.* S. ATHANASIUS in ep. ad Luciferum Calaritanum: *Etiam nos, inquit, optamus tenentes Apostolicam traditionem, vivere juxta legis mandata, ut possimus vobiscum inveniri in choro illo, in quo nunc exsultant Patriarchæ, Propheta, Apostoli ac Martyres.* Plura Veterum testimonia videre licet in Opusculo Muratorii de paradiso non expectata corporum resurrectione adversus Burnetum. Et quid sit, quod animas plene purgatas à visione Dei prohibeat? quod si impij statim ab obitu suo in infernum descendunt, cur Justorum gloria ad usque Mundi finem differatur?

prose.

profectò Deus ad præmiandum, quàm ad puniendum pronior est. Hunc nempe in finem animæ, simul atque à corpore separatæ sunt, Divino Judici sistuntur, ut vel æternis pœnis, vel purgatorio, vel cœlesti patriæ adjudicentur. Quò facit illud *Eccli. II. Facile est coram Deo in die obitûs retribuere unicuique secundum vias suas; & v. 39. In fine hominis denudatio operum ejus.* Unde S. AUGUSTINUS L. 2. de anima, c. 4. inquit, *illud rectissimè & salubriter credi, judicari animas, dum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet jam redditis corporibus judicari.* Quippe homo tam est persona singularis, & ideo particulare judicium subibit, quàm totius humanæ Reipublicæ membrum, & una cum cæteris mortalibus omnibus in publico & solemni judicio sententiam Dei Judicis feret.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Apostolus ad Hebr. II. v. 13. de Sanctis V. T. loquens ait: Juxta Fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes, & salutantes, quia peregrini & hospites sunt super terram. Dein v. 16. Nunc autem meliorem (hi omnes) appetunt (patriam) id est cœlestem. Tum. v. 39. & 40. Et hi omnes testimonio Fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur. Ergo. Resp. Apostolum v. 13. per repromissionem intelligere terram Chanaan, satis colligitur ex v. 8. & 9. Fide qui vocatur Abraham, obedi-

obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem, & exiit, nesciens quo iret. Fide demoratus est in terra repromissionis tamquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Jacob, cohæredibus repromissionis ejusdem. Hanc igitur terram promissam non sunt ingressi Patriarchæ Abraham, Isaac & Jacob, de quibus ibi loquitur Apostolus, sed eam à longè aspexerunt, & salutarunt, quia semper peregrinabantur in terra, tamquam non habentes stabile domicilium, in tabernaculis & tentoriis habitando. In versu 16, particula *Nunc*, ut observat MENOCHIUS, non tam significat tempus, quàm more Scripturæ & Hebraeorum notam illationis, quasi diceret Apostolus: ex quo intelligitur eos non terrenam patriam quærere (*siquidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi, sc. in patriam suam, unde peregrinati fuerant v. 14*) cùm hoc dicunt, sed cœlestem. Hi itaque Patriarchæ contemnebant patriam suam terrenam, nec in eam revertebantur, quia meliorem patriam, nempe cœlestem appetebant. Proinde nihil prorsus est in istis versibus, quod adversæ sententiæ patronis faveat. In postremis autem versibus loquitur Apostolus de repromissione cœlesti & consummata, quam Sancti simul omnes post corpora reassumpta consequentur, nam ait: *ut non sine nobis consummarentur*. Neque obstant hæc verba: *Deo pro nobis melius aliquid providente*, nam Deus Sanctis N. T. melius aliquid & præstantius providit, quàm priscis Patribus, hoc ipso, quòd disposuit, ut tempus beatitudinis ac resurrectionis non foret apud illos in Veteri, sed apud nos in Novo Testamen-

stamen-

stamento. Item quia Deus voluit, ut nemini pateret coelum in L. V. cujus aditum Christus aperuit ascendens in altum, secumque ducens Sanctos V. L. qui in limbo velut captivi hactenus detenti fuerant. Quod autem Apostolus de duplici repromissione, terrena sc. & coelesti, loquatur, manifestum fit ex v. 32. & seqq.

Inst. I. Idem Apostolus 2. ad Tim. 4. v. 8. ait: Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex, &c. Etc. I. v. 12. ejusd. ep Certus sum, inquit, quia potens est depositum meum servare in illum diem. Item I. ad Theff. c. 4. v. 13. scribit: Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Jesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. Ubi satis significat totam spem nostram ex resurrectione pendere. Similiter I. ad Cor. 15. v. 19. ait: Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus: dein solatur Fideles spe futuræ resurrectionis. Sic etiam ad Rom. 8. v. 18. Existimo, inquit, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloria in qua revelabitur in nobis: & quando? in resurrectione, nam v. 23. addit: adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Rursus I. ad Theff. 5. v. 23. optat, ut integer spiritus, & anima & corpus sine querela in adventu Domini nostræ Jesu Christi servetur. Ergo. Resp. Ad 1. num. Verba hæc Apostoli tam de particulari, quam de uni-

univērsali iudicio intelligi possunt, quia in utro-
 que Christus est iustus iudex, reddens primū animabus
 iustis coronam iustitiæ, h. e. vitam æternam, & beatitudinem
 essentialē; dein eandem coronam redditurus toti homini,
 sive animæ & corpori reunitis. Eodem modo respondetur ad
 alterum. Observa tamen, videri Apostolum magis loqui de die
 iudicii univērsalis, tum quia notanter ait, *in illo die, in illum diem*,
 tum quia in illa die completa & consummata iustitiæ corona
 dabitur coram Angelis & omnibus hominibus, qua spe
 Apostoli & se, & Fideles maximè erigebant, cū viderent se
 contemptu & opprobriis saturatos. Quin tamen excludat, aut
 neget animabus iustis æternæ vitæ mercedem mox ab obitu
 reddendam esse. Istud itaque Adversarii ex his & similibus
 textibus tantum conficiunt, inde probari non posse, Iustorum
 animas plenè purgatas ad videndum Deum continuò admitti.
 Ad 2dum. Apostolus quosdam ex *Thessalonicensibus* reprehendit,
 qui Ethnicorum more, nimiam de parentum suorum obitu
 tristiā conficiebantur, eosque certissimā resurrectionis spe
 solatur; sicque futurum esse docet, ut mutuo parentum
 aspectu denuo perfruantur. Nec tamen idcirco negat
 Apostolus, Sanctos, qui in Domino mortui sunt, ad
 divinum conspectum jam nunc receptos esse. Ad 3tium.
 Istud Apostoli institutum erat, ut *Corinthios* doceret,
 futuram aliquando esse mortuorum resurrectionem, de qua
 nonnulli præposterè dubitabant. Ad 4tum. Cū de
 passionibus huius temporis loquatur Apostolus, quæ
 corpus maximè affligunt; mirum non est, quod de futura
 corporum gloria locutus fuerit, quia

quin ideo gloriam animæ post mortem negaverit. Ad 5^{um}. Verba illa dicta sunt ad viventes, nam textus habet: *Ipse autem Deus pacis sanctificat vos per omnia, ut integer spiritus vester, & anima & corpus, sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.*

Inst. 2. Igitur Apostolus nullibi sat apertè docuit, Justorum animas mox ad Dei conspectum admitti: qui enim *num. 184.* laudati sunt textus, æque de futura gloria in resurrectione intelligi possunt. Et quidem quod ait v. 1. de domo æterna & cœlesti, quam domo terrestri opponit; id CHRYSOSTOMUS, AMBROSIVS, THEODORETUS, THEOPHYLACTUS de corpore immortali intelligunt, non autem de vita æterna: corpus autem immortale solum dabitur in resurrectione. *Resp.* Verior est, inquit BELLARMINUS, expositio eorum, qui per domum æternam & cœlestem intelligunt *vitam æternam*, cùm Apostolus de præsentis dicat: *Si terrestris domus nostra dissolvitur, adificationem ex Deo habemus*, corpus autem immortale non habemus nunc in cœlo, sed habebimus. Præterea Apostolus ubi dicit, *si hæc dissolvitur, habemus aliam*, vult dicere, non est, cur timeamus, de futuram nobis umquam domum esse: si enim hinc pellimur, habemus aliam. At si per domum cœlestem intelligeret corpus immortale, verum non est, numquam de futuram nobis domum esse, deesset enim à die mortis usque ad resurrectionis diem. Denique id ipsum hic vocat domum cœlestem, quod in fine c. 4. *dixerat æternam gloriae pondus*; per hoc autem omnes beatitudinem essentialem intelligunt. Atque ita locum hunc jam in Seculo III. interpreta-

HOMIN. POST MORTEM 561

ius est S. METHODIUS in I. de resurrectione, qui explicanda sibi sumens hæc Apostoli verba: *Scimus, quia si terrestris, &c.* inter cætera sic ait, ut refert Photius Cod. 234. *Per terrestrem domum, brevem hanc vitam abusivè intelligendam, non verò corpus . . . Quæ est ergo domus manufacta? Hæc inquam, brevis vita.* Deinde addit: *Quemadmodum ergo, cum dies vitæ nostræ præsentis defecerint, bona opera animas nostras recipient: ita brevi hac vitâ solutâ, animæ ante resurrectionem habitationem habebunt apud Deum, donec instauratam & nunquam casuram domum (id est corpus) recipiamus.* Certè Apostolus nisi per domum cœlestem intelligeret beatitudinem, non bene concluderet inferius v. 6. *Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino (per Fidem enim ambulamus, & non per speciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentem esse ad Dominum.* Nec enim sequitur, si hoc mortale corpus corrumpitur, habebimus aliud immortale post resurrectionem; igitur bonum est nunc mori, & peregrinari à corpore. At optima erit hæc Apostoli consecutio: si vita hæc mortalis perit, habemus statim aliam longè meliorem in cœlo; igitur bonum est citò mori in hoc mundo, ut citò vivamus in cœlo. Rectè igitur S. THOMAS ex cit. v. 6. ita discurret in Comment. ad h. l. *Confutatur per hæc verba error dissentium, animas Sanctorum decedentium non statim post mortem deduci ad visionem Dei. Nam frustra Sancti auderent, & desiderarent peregrinari à corpore, si separati à corpore non es-*
 Tom. II. Na sent

sent praesentes ad Deum. Et ideo dicendum est, quod Sancti statim à morte vident Deum per essentiam, & sunt in caelesti mansione. Immo & S. CHRYSOSTOMUS Hom. 10. in ep. 2. ad Cor. c. 5. eandem hinc sententiam elicit, dicens: Praestantius est cum Christo esse, quam corpus à corruptione liberum accipere. Sensus autem horum verborum est huiusmodi. Vitam nostram is non extinguit, qui nos oppugnat, ac morte adficit. Ne timeas, fidentem animum praebe, cum concideris atque obruncaris. Neque enim ille duntaxat te à corruptione vindicat, ac gravi sarcina levat, sed etiam ad Domini conspectum confestim (ταχέως) transmittit. Confirmantur haec illis Apostoli verbis ad Philipp. 1. v. 22. & 23. Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Quodsi vivere in carne hic mihi fructus operis est, & quid eligam, ignoro. Coarctor autem à duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos. At si animae ante resurrectionem corporum haerent in aliquo loco extra caelum, frustra desiderasset Apostolus esse cum Christo, qui in caelis est.

Inst. 3. Apostolus ad Philipp. c. 1. cit. aut desiderabat corporali praesentiâ cum Christo esse, sicque de tempore resurrectionis intelligi debet; vel loquitur de praesentia Christi spirituali interna, quali etiam Sancti fruuntur in hac vita. Vel denique piorum animae post mortem dici possunt esse cum Christo, quatenus erunt in custodia Christi. Christus jamjam moriturus animam suam in manus Patris deposuit, id est, in custodiam & tutelam Patris.

Patris. Stephanus quoque moriturus in manus Christi animam suam tradidit . . . Eodem modo anima Pauli esset cum Christo in ipsius tutela, & apud eum deposita usque ad resurrectionem. Ita *Burnetus*. Resp. Ineptè hæc omnia. Nam 1^o. Quis non intelligit Apostolum, cum dixit: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*, voluisse carnis farcinam deponere, ut anima ad Christum videndum ascenderet? an fortè anima à corpore soluta Deum videre non potest? at numquid Angeli semper vident faciem Patris, qui in cœlis est. Nec minus temere & ineptè *Burnetus* ad præsentiam Christi spiritualement & internam confugit, quod si enim fatente ipsò *Burneto*, Sancti homines in hac vita adsunt Deo, intimè cum illo conjuncti spiritu, nihil erat, cur Apostolus dissolutionem corporis optaret, ut esset cum Domino. Sperabat igitur se fruiturum non spirituali duntaxat, sed etiam reali præsentia Christi, quacum visio Dei, & beatitudo conjuncta est. Ad 3^{tium}. Num tutelâ & custodiâ indigebat (nisi *Arianismum* sapias) anima Christi, à qua Divinitas numquam separata fuit? *Stephanus* moriturus vidit cœlos apertos, & gloriam Dei, Christumque stantem à dextris Patris: cur autem vidit, nisi ut intelligeret sibi cœlum patere, & se statim à Domino in gloriam istam recipiendum esse; idcirco exclamat: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum*. *Stephanus* autem (inquit S. AUGUSTINUS *Serm. 319.*) pro cujus *Evangelio* animam posuit, illi commendavit ipsam animam. *Domine, inquit, accipe spiritum meum. Fecisti me victorem, recipe in triumphum. Accipe spiritum meum. Illi persequuntur, tu suscipe*

N^o 2 i^llò

*illi ejiciunt, tu intromitte. Dic spiritui meo: intra in gaudium Domini tui. Hoc est enim: Accipe spiritum meum. Denique quid sit esse cum Christo, ipse Apostolus explicat I. ad Thess. 4. dum ait: Deinde nos, qui vivimus, qui relin-
quimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus. Juvat iterum audire verba S. CHRYSOSTOMI Hom. 3 in ep. ad Philipp. dicentis: Dissolvi multò magis melius, & quid eligam ignoro. Quid ais? cum hinc abiens ad cælum sis migraturus, & cum Christo futurus, ignoras quid eligas? ce-
quis pugil, cum coronam possit induere, malit rursus in certamen descendere? ecquis Dux, qui à bello cum gloria & tropæis liberari queat, & cum Rege in Regia quietus degere, seque oblectare, adhuc & sudare præoptet, & in aciem pro-
dire?*

Obj. II. Quis sit futurus animarum status post mortem, non uno in loco docet S. JOANNES, ve-
luti cum ep. 1. c. 3. ait: Cum apparuerit (Christus in ultimo judicio) similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Et Apoc. 6. v. 9. Vi-
di subtus altare animas interfectorum propter ver-
bum Dei . . . Et clamabant voce magnâ dicen-
tes: Usquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? dicuntur hic Sanctorum animæ quiescere, non in cælo, sed in terra. Resp. Ad Iamum. Dupliciter locus iste intelligi potest. 1^o ut verba hæc, cum apparue-
rit, non ad Christum referantur, sed ad publicam hominum notitiam, ita ut sensus sit: cum appa-
ruerit, quid erimus. Dixerat nempe antea Apo-
stolus:

HOMIN. POST MORTEM. 565

stolus: *Charissimi nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. q. d. Licet simus filii Dei, hoc tamen Mundus ignorat, quod dixerat v. 1. Propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum.* Cum autem adoptio hæc & sanctificatio nostra hominibus aliquando manifesta fiet, videbunt nos in nubibus Christo adsidentes, ac similes illi quoad externam corporis gloriam, quæ ex visione Dei promanabit. Vel etiam *ro apparuerit* referri potest ad Christum Judicem venturum, & *Iusti* erunt similes Christo gloriâ corporis, juxta illud ad *Coloss. 3. Cum Christus apparuerit, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Ad 2dum. Altare hic mysticum & spiritale intelligi debet. Nempe Apostolus cœlestem Regiam (*Apoc. 4.*) instar templi describit, ubi mystica candelabra, & lampades, altare mysticum & sedes, sive thronus Dei Patris cum Agno sedentis, ad quem Seniores dicebant: *Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria.* Vidit itaque S. JOANNES Martyrum animas in cœlesti Templo, ubi divina Patris majestas, & gloria Agni effulgebat; vidit illas gloriâ vestitas, nam *data sunt illis singulæ stola alba, v. 11. h. e. stola gloriæ,* qua ornatum quoque Messiam prænuñciavit ISAIAS c. 63. *Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis sua.* Porro istud altare mysticum in caelo positum, clariùs expressit S. JOANNES c. 8. dicens: *Factum est silentium in caelo. Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei. Et alius Angelus venit, & stetit ante Altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super*

Altare aureum, quod est ante Thronum Dei. Quid multa? legat Burnetianus, quæ habet S. JOANNES c. 7. v. 9. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus Gentibus, & Tribubus, & populis stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis. Et infra: Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & unde venerunt? Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus.

Obj. III. 2. Machab. 12. v. 44. legitur: Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret (Judas) superfluum videretur, & vanum, orare pro mortuis. Igitur Judas omnem animæ beatitudinem à resurrectione corporis pendere opinabatur. Et Apostolus I. ad Cor. 15. v. 32. dicens: Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus & bibamus, cras enim moriemur; sic infert: nisi futura sit resurrectio, miserabiliores sumus omnibus hominibus, qui continuis afflictionum tempestatibus jactamur; igitur resurrectio est futura. Hæc autem consecutio esset infirma, quodsi anima jam ante corporis resurrectionem beatitudinis capax esset; ergo anima nonnisi readsumpto corpore ad cælum recipitur. Resp. Ad I. m. N. C. Verba illa vel intelligi possunt de resurrectione animæ à pœnis purgatorii, pro qua liberatione preces & sacrificia fieri curabat JUDAS (pro corporum enim resurrectione ista fieri non debent, cùm hæc à Deo certissimè definita sit;) vel etiam de resurrectione corporum, ita ut sensus sit: nisi JUDAS spera-

speraret eos, qui ceciderant, à mortuis aliquan-
 do resurrecturos esse, adeoque animas defunctorum
 esse immortales, præmii & supplicii post hanc vi-
 tam capaces; superfluum videretur & vanum, ora-
 re pro mortuis. Et quidem hic sensus appositè sta-
 tuitur ad refellendam *Sadducæorum* hæresim, quæ
 teste *Josepho*, circa *Judæ* tempora fuit exorta.
 Nempe cùm *Sadducæi* negarent corporum resur-
 rectionem, etiam consequenter & illativè tolleba-
 tur animæ immortalitas, omneque præmium & sup-
 plicium post mortem. Immo *Sadducæi* ex eo po-
 tissimum videntur negasse animas esse immortales,
 quia corpora aliquando resurrectura negabant. Ad
2dum. Hæc ipsa videtur fuisse argumentatio Apo-
 stoli, videlicet, si corpora non resurgunt, etiam
 animæ non erunt immortales, sed unà cum corpo-
 re interibunt, ac proinde frustra affligimur, fru-
 stra laboramus pro felici æternitate; manducemus
 itaque & bibamus, cras enim moriemur. Sed &
 datâ immortalitate animæ, adhuc legitima est Apo-
 stoli consecutio, quia si corpus, quod est particeps
 laborum & afflictionis, non veniat in partem præ-
 mii, etiam anima præmio carebit. Ex opposito
 igitur, cùm animæ Sanctorum mox ad beatitudinem
 recipiantur, etiam corpora olim resurgent, ut
 animarum gloriam & felicitatem participant.

Obj. IV. Justorum animæ dicuntur esse in *para-*
diso, in *sinu Abrahamæ*; & Patres dicunt eas esse
 in *loco Piorum*, in *requie*: quibus omnibus non
 cælum, sed locus alius designatur. Immo cùm
Latro in cruce dixisset *Luc. 23. v. 24. Domine,*
memento mei, cùm veneris in regnum tuum,
Christus huic petitioni non annuit, sed respondit:

Nn 4

Hodie

Hodie mecum eris in paradiso. Ergo. *Resp.* Ad *1mum*. Equidem *paradisi* (*loc. cit.*) appellatio apud Patres non tam liquida est, ut certam & inconcussam ad præsentis controversiæ decisionem trahere inde significationem omnes voluerint. Quippe incongruum nonnullis visum est, ante Christum ipsum cælo donare felicem hunc Latronem, cum Christus nonnisi 40. diebus à resurrectione sua in cælos ascenderit. Præterea cum triduo anima Christi à Corpore sejuncta in inferis Piorum sedibus morata fuerit, quomodo tempore illo Latronis anima Regni cœlestis compos evasit? Alii tamen, & hi longè plures, sub *Paradisi* vocabulo cœlestem paradisum, & locum æternæ beatitudinis intellexerunt. Dum enim Christus ait: *Hodie eris mecum*, Latroni non illudit, sed confirmat ejus spem Regni, & quidem citò obtinendi. Neque ideo necessum fuit, ut Sancti Latronis anima in cælum continuò eveheretur, cum Christus ad inferos descendens, Limbum Patrum in locum converterit inæstimabilis felicitatis. Nempe ubi Christi Divinitas sese videndam præbuit, ibi cælum erat, sive locus beatitudinis, quæ in visione Divinitatis intuitiva sita est. Certè hæc verba Christi: *Mecum eris in Paradiso*, ut vera sint, de paradiso vel terresti, vel spiritali & cœlesti intelligi debent; paradisum autem terrestrem neque Christus ingressus est, neque illuc Latronis animam transtulit; igitur hæc in Paradisum cœlestem & spiritua-lem translata fuit. Ad *2dum*. Hæc cæteris præferenda interpretatio est, per *sinum Abrahæ* non significari locum quempiam, sed honorificam sedem in regione illa, in qua cum Justis servabatur

Abraham,

Abraham, omnium credentium pater. Sic cum *Lazarus* dicitur *Luc. 16.* portatus ab Angelis in sinum *Abrahæ*, sensus est, quod *Lazarus* fuerit *Abrahæ* proximus, apud illum supra complures alios honoratus. Hoc quippe sensu etiam dicitur *Joann. 1. v. 18.* *Unigenitus Filius*, qui est in sinu *Patris*. Hinc intelligitur, quo sensu ex Antiquis nonnulli scripserint, post Domini in cœlum ascensionem, Sanctorum animas in sinum *Abrahæ* delatas fuisse. Aliquando etiam per hæc ipsa verba significatur beatitudo cœlestis, in quam translatus est *Abraham* à Christo ascendente. Unde *Matth. 8.* dicitur: *Multi ab Oriente & Occidente venient, & accumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cœlorum.* Hinc *S. CHRYSOSTOMUS Hom. 27.* in *Matth.* de Christo ait: *Cæleste regnum non suo nomine, sed sinum Abrahæ appellavit.* Ad 3tium. Antiqui per *Locum Sanctum*, *Locum Piorum*, ubi in hunc Justorum animas abiisse dixerunt, re ipsa cœlum intellexerunt, inducti his *Psalmistæ* verbis: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? innocens manibus & mundo corde.* Quæ licet terrestrem *Jerusalem*, & *Templum Domini* significant; sublimiori tamen sensu apud Patres significant *Jerusalem cœlestem*, quæ verè *Jerusalem* est, ut ait *EUSEBIUS L. 4.* *Demonstr. Evang.* Hinc ipse Christus *Joann. 14.* *Vado parare vobis locum, ut, ubi sum ego, & vos sitis.* In hunc igitur sensum scripsit *S. Clemens Rom. de S. PETRO* in ep. 1. ad *Cor. c. 5.* *Multos sustinuit labores, atque ita Martyr effectus ad debitum gloriæ locum discessit.* Ibidem de *S. PAULO: Martyrium*

passus, & ita è mundo migravit, atque in locum sanctum abiit. Et c. 6. de Martyribus hæc scribit: *In constanti Fidei cursu pervenerunt, & corpore debiles nobile præmium acceperunt. Ad ætatum.* Dum Sanctorum animæ ad quietem, & requiem translata dicuntur, pariter vita in cœlis beata designatur, ubi requiescunt, & æternum requiescent à laboribus suis, quos pro Domino susceperunt, & exantlarunt. Hæc est illa requies, de qua Apostolus ad *Hebr. 4. v. 10. Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut à suis Deus.* Tum addit: *Festinemus ergo ingredi in illam requiem: non in Ecclesiam, sive in Fidem à Christo prædicatam, hanc enim amplexi jam fuerant Hebræi, ad quos Paulus scribit, sed in requiem illam cœlestem per bona opera & patientiam. Quænam est erga alios requies (inquit S. CHRYSOSTOMUS Hom. 6. in ep. ad Hebr.) quàm regnum cœlorum, cujus imago & typus est Sabbathum?* Et CLEMENS Rom. ep. 2. ad Cor. (quam multi eidem tribuunt) §. 5. sic habet: *Et scitote fratres, quòd peregrinatio carnis hujus in hoc Mundo brevis est, ac parvi temporis. Promissio autem Christi magna & admirabilis est, atque requies futuri regni, & vita æternæ.* Atque hanc à primis jam seculis acceptam phrasin retinet Ecclesia Chatholica, ubi Justis vitâ functis precatur requiem æternam, cœlestis videlicet patriæ delicias designando. Siquando Liturgiæ Veteres Ss. *Marci, Basilii, Chrysostrami* & aliorum habuere orationes etiam pro defunctis Sanctis, Patriarchis, Apostolis & Martyribus, orabant pro his Ecclesiæ, ut eorum gloria augeretur,

tur, & imitatio in nobis caperet incrementum; minimè verò, ut per preces eorum animæ levarentur. Quod verò in Ecclesia Summa Aquisgranensi adhuc hodie singulis annis dicatur *Missa de Requiem* pro anima *Caroli M.* qui tamen Sanctorum Catalogo inscriptus est, divinari fortè licet, at definire non licet. Equidem à PASCHALI III. Pseudo Papa inter Sanctos relatus est: at siluerunt Pontifices legitimi sequentes, eumque Gallia, Belgium, Germania cultu Sanctis debito honorant. Oratio de *S. Leone*, quæ olim ita habebat: *Annuè quæsumus, Domine, ut animæ B. Leonis hæc profit oblatio;* hodie sic habet: *Annuè nobis Domine, quæsumus, ut intercessione B. Leonis hæc nobis profit oblatio.*

Obj. V. Christus ipse nec statim, nec sine corpore ascendit in cœlum. *Resp.* Licet anima Christi non statim ascenderit ad cœlum, perfectissimè tamen jam inde ab ortu suo videbat Deum, ideoque beata erat. Ascendens autem Christus ad cœlos, cum corpore ascendit, ut Sanctissima Humanitas triumphum ageret, atque ad dexteram Dei Patris evecta gloriosè in cœlis regnaret.

Obj. VI. Futurum esse iudicium particulare statim post mortem non satis liquet. Aut si etiam futurum sit, non sequitur, Justorum animas ad cœlum mox evolaturas, quia illud etiam subiissent *V. T. Sancti*, quin tamen cœlesti regno mox potiti fuerint. Neque illud etiam satis conficitur ex *Bulla Benedicti XII.* quia in hac *Bulla Pontifex* addit: *De providentia ordinaria.* Ergo. *Resp.* Ad *1mum.* Iudicium particulare sine læsione Fidei Christianæ negari non posse, rectè inquit *MURATORIUS* in *L. cit.* eoquod hæc veritas ex *Sacrarum*

Lite-

Literarum, & PP. monumentis deprehendatur firmissima. Illam expressit Christus *Luc. 16. v. 22.* *Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in Sinum Abrahamæ. Mortuus autem est dives: & sepultus in inferno. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham de longe, & Lazarum in sinu ejus.* Uterque igitur tam Lazarus, quàm dives; Judicis sententiam tulit, ille salutis, hic damnationis æternæ. In hujus dogmatis confirmationem etiam adferri solet illud ad *Hebr. 9. v. 27.* *Statutum est hominibus semel mori.* Post hoc autem iudicium: nec prorsus immeritò, quia ibi nulla inter mortem hominis, & occultum Dei iudicium mora interponitur. Quamvis etiam ex aliorum sententia hæc Apostoli verba de extremo Iudicio intelligi queant. Ad priorem textum respexit S. AUGUSTINUS, cum L. 2. de anima, & ejus origine dixit: *Quis adversus Evangelium tanta obstinatione mentis obsurduit, ut in illo paupere, qui post mortem ablatu est in sinum Abrahamæ, & in illo divite, cujus in inferno cruciatus exponitur, ista non audiat, aut audita non credat?* Ad 2dum. Ante Christi ascensionem etsi impiis occultè iudicatis promeritæ mox pœnæ rependerentur; justis tamen visio beatifica differebatur, eo quod clausæ cœli portæ per Christum aperiri primum deberent. Tum vero ipse in cœlos ascendens secum duxit Patriarchas, Prophetas, aliosque Sanctos, qui hæctenus in Limbo velut captivi fuerant detenti. Ad 3tium. Etsi BENEDICTUS XII. in sua Bulla verba laudata addiderit; subinde tamen hæc quæstio solemniter & absque limitatione decisa fuit in Synodo *Florenti-*

na, & quidem unanimi Græcorum & Latinorum consensu, & postea communi omnium Fidelium sensu confirmata.

Obj. VII. Dæmones ex communi ferè PP. sensu, necdum torquentur igne infernali. Ita S. JUSTINUS in utraq; Apologia dæmones solum esse torquendos dicit. S. IRENAEUS L. 5. c. 26. discretè ait, Dæmonem nihil nunc pati, sed eum duntaxat passurum esse post judicium. Idem scribunt Ss. AMBROSIVS in Comment. in c. 8. Lucæ, HIERONYMUS & CHRYSOSTOMUS in c. 8. Matth. aliique plures, quos refert BELLARMINUS L. 1. de Sanct. Beatit. c. 6. Quin ipsa S. Scriptura haud obscurè istud significat, veluti cum S. PETRUS ep. 2. c. 2. inquit *Novit Dominus pios de tentatione eripere, impios verò in die judicii reservare cruciandos.* Et S. JUDAS v. 6. ait *Angelos malos in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine servatos.* Quin ipsi dæmones Matth. 8. clamabant dicentes: *Quid nobis, & Tibi Jesu Fili David? venisti huc ante tempus torquere nos.* Igitur nec homines peccatores ante diem judicii æternis pœnis addicuntur. Nec quidquam probatur ex Luc. 16. v. 22, quia hæc non historia est, sed parabola. Proinde nec Justo ante Judicium extremum præmia consequuntur. *Resp. Ad Iumum.* Cum S. IRENAEUS L. 5. ultra medium, dicat, Diabolum ante Christi adventum numquam blasphemasse Deum, quòd ignoraret adhuc suam damnationem, sed à Christo & Apostolis tandem didicisse, ignem æternum sibi esse paratum, & hanc sententiam se à S. Justino accepisse significet, quam ipsam tamquam Justino postea secutus est OECUMENIVS in c. ult. I. ep. Petri;

tri; EPIPHANIUS autem in hæresi *Sethianorum* adfirmet, dæmones non modo damnationem suam ignorasse, sed etiam salutem per Christi adventum sperasse, tum verò demum desperasse de salute sua, ubi viderunt nihil à Christo pro dæmonibus fieri; respondet BELLARMINUS, se non videre, quo pacto sententia hæc ab errore defendi possit. Cæteri autem Patres duo adfirmant, quæ verissima sunt, dæmones in die iudicii ex hoc aëre in abyssum præcipitandos, & eos futura adhuc tormenta expectare. Quin tamen inde sequatur, eos hoc tempore non torqueri, nam etsi nunc verè torqueantur, & gehennam secum portent, ut loquitur BEDA; suarum tamen pœnarum plenitudinem in die iudicii habebunt, quando inferorum carceribus concludentur, quod pœnarum complementum maximè timent. Unde *Luc. 8.* cùm à Christo ex hominibus eijcerentur, *rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent.* Timent, inquam, dæmones hanc abyssum, non quia extra illam ab igne corporeo non torquentur, sed quoniam illâ conclusi nocere hominibus ampliùs nequeunt, nec ab ullo amplius extorquebunt cultum, quo nunc ab ethnicis & Magis adorantur. Ad 2dum. De hoc ipso pœnarum complemento, quod pœna accidentaliter meritò dicitur, intelligi possunt verba Ss. *Petri & Jude.* Quæ dæmonum pœna inde quoque in die iudicii augmentum capiet, quòd iudicandi sint ab iis ipsis hominibus, quos tentaverunt, cùm viverent. Cùm verò clamarunt, quòd ante tempus à Christo torquerentur, pœnæ loco sibi esse significabant, quòd cogèrentur ab hominibus exire, quod tam citò futurum minimè expectaverant. Ad 3tium.
Homi-

HOMIN. POST MORTEM. 575

Homines impios statim ab obitu suo æternis ignibus tradi, tum S. Scriptura apertè docet exemplo *divitis Luc. 16.* tum clarè definitum est à Synodo FLORENTINA in Decreto his verbis: *Diffinimus... illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Denique quod de *divite S. LUCAS* memorat, veram historiam esse, disertè docent Ss. AMBROSIVS in c. 16. *Luc.* HIERONYMVS L. 2. in *Jovinian.* AUGUSTINVS L. de cura pro mortuis c. 14. GREGORIUS L. 4. *Dial.* c. 29. Idque satis colligitur ex adjectis personarum nominibus propriis, quibus Christus in parabolis uti non consuevit.

QUAESTIO II.

Utrum Ss. CYPRIANUS, HILARIUS, AMBROSIVS, CHRYSOSTOMUS, AUGUSTINUS & BERNARDUS sententiæ Burneti præiverint?

Burnetus temere ac impiè hos Ss. Patres sibi vindicat. Et quidem I. S. Cypriani testimonia luculentiora sunt, quàm ut dubium ullum relinquere possint. In epistola ad *Sergium, Rogatianum*, aliosque Confessores, eos hortatur, ut in confessione cœlestis gloriæ fortes & stabiles perseverent, & ingressi viam dominicæ dignationis ad accipiendam coronam spiritali virtute pergant. *O beatum, inquit, carcerem, qui homines Dei mittit ad cœlum; nemo mortem cogitet, sed immortalitatem; nec temporariam pœnam, sed gloriam sempiternam, cùm scriptum sit: Pretiosa est in conspe-*

dican-
tur Ss,
Pa-
tres.